



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117875

§. 4. Photius Apocrisarium Romam mittit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)

se a Joanne Papa fuisse missos ad Ignatium anathematizandum, & Photium in Dignitate Patriarchali confirmandum. Sæculum IX.
A.C. 879.

Quæ res complures Episcopos decepit.

§. IV.

Photius Apocrisarium Romam mittit.

Tunc vero Photius Romam misit Theodorum, quem in exilio degens Metropolitanam Patræ ordinaverat; sed eum deinde per contemptum Episcopum Aphantopolitanum, id est, civitatis non existentis, appellarunt. Huic igitur Romam pergere jussu tanquam suo Apocrisario epistolam dedit, Joanni Papæ reddendam, in qua dicebat; jam se a cunctis hominum ordinibus secundo compulsus fuisse Patriarchalem Sedem conscendere. Atque ut fidem faceret, Epistolæ addidit libellum, cui subscriperant Metropolitanæ; hos enim deceperat mentitus, necesse esse, ut pactis quibusdam Ecclesiæ lucrativis sed secretis nomen apponerent. Annulos vero eorum clam furrari præceperat a Petro sibi a Secretis, qui deinde in astutiæ præmium a Photio Sedem Metropolitanam Sardanensem accepit.

Præterea Photius ad Papam misit Epistolam commentitiam, Ignatii Patriarchæ, aliorumque Episcoporum nomine scri-

Sæculum IX. scriptam, in qua rogare fingebantur, ut
A. C. 879. Photium reciperet. (*) Huic junctæ

quoque erant Basilii Imperatoris literæ, in quibus Photius commendabatur. Cum illi, qui hanc Legationem susceperant, ineunte mense Aprili anno octingentesimo septuagesimo nono in Italiam pervenissent, Gregorius *Bailus*, seu Imperatoris Basilii in Italia Vicarius, misso tabellario Papam monuit, Græcos hospites per civitatem Capuanam committuros. Unde Papa datis ad Pandenulfum illi civitati præfectum literis, hortatus est, ut eos tuto Romam usque perduceret. Simul ipsi Vicario scribens, profitebatur, quam ardenti desiderio teneretur, pacem in Ecclesiam Constantinopolitanam reducendi, promittebatque, se Legatos convenienti honore excepturum. Haud diu post rursus scripsit Papa, omnia se disposuisse, quo securi iter facerent, rogans, ut eos per civitates Beneventum & Capuam dirigeret.

ep. 168.

ep. 169.

ep. 178.

Hæc

(*) Non satis clare hæc narrat Fleurius: quid prius quid postea factum fuerit. Nam hanc Epistolam a Photio missam fuisse, Ignatio adhucdum in vivis agente, necesse est. Interim contra Protestantes vel ab ipso Photio argumentum clarissimum eruitur, ipsum sibi persuasum habuisse, nunquam futurum, ut ab universali Ecclesia legitimus Patriarcha haberetur, non consentiente Romano Pontifice.

Hæc Epistola sexta Maji anno octin- Sæculum IX
 gentesimo septuagesimo nono data. Pau- A. C. 879.
 cos ante dies Papa, cum tres Monachos
 a Theodosio Patriarcha Jerosolymitano
 ad se delegatos dimitteret, in Epistola i-
 p̄s̄is commissa, excusabat, quod longo
 tempore eos detinisset, cum se in Fran- ep. 170.
 cia commorante venissent. Quia vero
 eleemosynam modicam illo mittebat, ra-
 tionem reddit, quod Romani a Paganis
 gravissime premerentur.

§. V.

Concilium Romanum.

Prius autem, nempe quinta Martii an- ep. 153.
 no octingentesimo septuagesimo no-
 no, Pontifex Romanum Neo-Archiepiscopus
 Ravennatem cum omnibus suis
 Suffraganeis ad Concilium Romæ vige-
 sima quarta Aprilis celebrandum voca-
 verat, quo servarentur Canones, inque-
 bat, præcipientes, bis in anno Synodos
 convocari. Distulit deinde istud Con- Ep. 155.
 cilium ad diem primam Maji, jubens, ut
 etiam Anspertus Archiepiscopus Medio-
 lanensis cum omnibus suis Suffraganeis
 veniret, & indicans, in illo Conventu
 præter causas Ecclesiasticas etiam de ele-
 ctione Imperatoris agendum esse, cum
 Carlomannus, Rex Baviaræ, aliunde qui-
 dem, nempe jure sanguinis, aptus Impe-
 rio, bella pro Ecclesiæ libertate movere

Hist. Ecclesiast. Tom. XII. T t va-